



36

37

38

39

40

41

42

43

44


1701.

35. Skrykis, Samuel: *De fidei commissorum illustridum  
constitutions et dispositione.*
36. Skrykis, Samuel: *De probanda versione credi.*
37. Skrykis, Samuel: *De prohibitis testari.*
- 38<sup>o</sup> Thomanus, Christianus: *De morum cum iure scripto  
contentione. 3 tract.*
- 39<sup>o</sup> Thomanus, Christianus: *De vera pietate iuristica.  
3 tract.*
- 40<sup>o</sup> Thomanus, Christianus: *De pretio affectionis in res  
frumentis non cadente. 3 tract.*
- 40<sup>o</sup> Thomanus, Christianus: *De pretio affectionis in res  
frumentis non cadente*
- 41<sup>o</sup>, 6<sup>o</sup> Thomanus, Christianus: *De interpretatione bene-  
ficiorum principiis. 2 tract.*
- 41<sup>o</sup> Thomanus, Christianus: *De interpretatione beneficiorum  
principiis Accura 1749.*
- 42<sup>o</sup>, 6<sup>o</sup> Thomanus, Christianus: *De dominibus propriis et  
libris Germanorum. 1701., 1728.*

73<sup>a</sup>-f. Thomae, Christianus : De criminis mecenâe  
6 Traj. 1701., 172<sup>2</sup> & 1730

74<sup>a</sup>-f. Thomae, Christianus : De culpa ab hereditate data  
zum Verstande.





4  
1701, 32<sup>b</sup>

GEORGII ERNESTI STAHL,  
D. ET PROF. PUBL. ORDIN. h. t. FACULT.  
DECANI,  
*PROPEMPTICON INAUGURALE,*  
*DE*  
**ΑΠΟΣΤΑΣΕΟΣ**  
ET  
**ΑΙΓΙΟΣΤΕΜΑΤΟΣ**  
**HIPPOCRATIS DIF-  
FERENTIA,**





## ulta à Veteribus diligen-

tissime perverelligata, studiosissime pen-  
sitata, & sapientissime denique deter-  
minata, sequiorum temporum succe-  
su, non in melius, sed in deterius sa-  
per-  
numero intellecta atque devoluta esse,  
minime difficile nobis foret multis va-

Risque argumentis atque demonstrationibus confirmare; si  
id ex professo ita deducere ferret animus. In Medicina cer-  
te nostra non raro hoc ira evenisse, declarant haud pauca;  
quando præstern loco circumspectæ experientiæ, & acce-  
ptionis verborum juxta hujus dictum, potius è converso  
nudis verbore interpretationibus intenti Commentatores,  
rei ipsius minus exquisitam descriptionem, propterea maxi-  
me assequuntur sunt, quia è vi appellationis alium sibi conceptum  
de eadem formaverant, cui inherentes, descriptiones reli-  
querunt, quæ in rerum natura formaliter ita nuspam occur-  
rant, adeoque non nisi in opinione deinde consistunt. Imo  
subest alterum, non paulo majus, incommodum, quod ipsius  
vera rei descriptio, vera atque solida, interim veluti plane in-  
tercipiatur, & dum falsa notitia nobis præfiguratur, verâ pror-  
fus defraudemur. Placet in præsenti aliquod hujus rei speci-  
men considerare, in examine *Abscessorum* illarum, quarum  
tam frequens apud Hippocratem occurrit mentio, sub diversis  
illis appellationibus Ἀποσάτεις & Αποσχαττοῦ. Loca Hippo-  
cratis, tanto minus vero Galeni, & Avicenna, verbo tenus hac  
transcribere, non fert instituti nostri ratio. Sufficerit mo-  
nuisse, quod non ita paucis locis harum mentionem faciat,  
tum *generalius*, ut *Abscessionum*, post acutos & febriles mor-  
bos, fieri consuetarum: tum *Specialius*, *Abscessum*, evacuatio-

) : ( 2 num

num cum aliqua corruptione , nempe *suppuratione* aut *ulceratione* , in certis partibus corporis seorsim evenientium . De prioribus cum præcipua nobis sit consideratio , è re nostra fu- erit monuisse , quod jam varii in Hippocratem Commen- tatores hanc rem ita satis sollicite tractaverint , inter quos non ultimo loco habendus Foesus , tam in Commentario suo ad libros *Epidemiorum* , quam etiam in *Oeconomia* sua . Notant videlicet , quod Hippocrates loquatur de duplicitate Abscessione seu *ἀπόστασι* , altera *κατ' ἔνγον* , *ἐργὸν* , altera *κατ' αὐτόθεστων* : priore , nempe excretoria Abscessione , intelligere magis nudas imme- diatas eruptiones , eo tamen successu atque eventu fientes , ut , cum universus morbus , factis his excretionibus , vel sensibili- lissime , vel penitus & absolute , cedat atque cesset , hac ipsa e- vacuatione præcipua materia & causa continens morbi , e parti- bus corporis nobilioribus per ignobiliores , ab intimioribus per exteriore atque dissipata abscessisse & excessisse , manifesto agnosciri posset : Posteriore vero genere , Abscessione per sep- fissionem , denotare materia talis , qua morbum haec tenus for- maverat atque foverat , è principalibus quidem partibus de- pulsionem , non tamen plenariam ex universo corpore excus- fionem , sed , sive ibi vires non sufficiant , sive materia ad excede- dendum minus sit disposita , sive viæ non sufficienter respon- deant institutis , saltem ad ignobiliores paulo partes *semitio- nem* , ubi nihilominus obhaerescendo , alteri ulteriori , licet se- gniori , & si negotium feliciter cedat , minus fontico Pathema- ti , materiam & ansam præbeat . Iam negandum non est , quod non modo interpres Hippocratis hoc postremum genus Abscessioneis , uno ore accipiant pro talis materia tam notabili & copioso secessu atque transmissione ad dictas illas partes , dissipata aut ignobiliores , quæ tum ratione quantitatis mate- riae , tum ratione universæ intentionis , ad excretionem actuau- lem

Iem adhuc destinata sit atque spectet, & cum aliqua successiva corruptione, in verum tale evacuationis genus tendat atque vergat, quod strictissimo nomine *Apostematis* vulgo denotari semper solebat: Ut nimurum materia copiolius ad talem partem collecta, eidem ut nusquam retrocedere possit, impaeta, & ex propria etiam sua indole corruptioni valde idonea, hac ratione in *purulentam* aut *sanguinam* corruptionem ruat atque vergat, & sub hac corrupta forma denique per rumpendo, tandem ita e toto corpore exoneretur. Cum vero ab ipsa experientia didicerint, fieri non sene raro, praesertim in *calidioribus* climatibus, ejusmodi Apostas, quae etiam multis manifestis, & gravibus saepe, incommodis se se excrant, nullo tamen subsequente talis corruptionis eventu: permoti sunt hinc ad supponendum, quod Apostematum talium alia quidem sint *calida*, materiam nempe magis mobillem & mutabilem continentia: alia *frigida*, crassam, tenacem, segnem materiam foventia, quae non nisi tardissime, imo vero plane non, ad verum Abscessum & evacuationem perveniant. *Loca Abscessionum* harum nominat *Hippocrates*, priorum quidem varia, principiè tamen vel *carnosora*, vel *glandulosa salivaria*, & ibi quidem specialissime, *Paroides*: *Posteriorum* vero specialissime veluti, *Articulos*. Quod priores attinet, non sene ita difficiles sumus, ut vel ipsi, ve experientiae dubium hic moveamus. Illud vero dissimulare neque possumus, neque volumus, quod in nostra quidem Praxi, & reliquis circa communem praxin observationibus, revere hujus generis *πόστατες*, in nostris Climatibus rariores adhuc sint, quam posterioris generis, quibus nempe post acutos morbos, sub variis Empyriis & Typorum obturbationibus, ipsorum quoque ægrotorum malo regimine, non ita raro pathemata in *articulationibus* posthac eveniunt, modo mox, modo temporis denique successu valde molesta, imo,

nisi mature recte ipsis consulatur, in posterum longè pertinacissima, imo subinde insuperabilia. Quamlibet autem hoc Pathematis genus, interdum, imo vero plerumque, non ramen perpetuo & infallibiliter, cum conspicuo Tumore partem invadat: aliquando etiam, licet rarissime, post longum tempus in aliquam corruptionem Apostematodem aut ulcerosam abeat; revera tamen in hodiernum usque diem nondum doceri potest, quod vel ipsa prima illa intumescentia, à nuda materia ita secedente, & non potius consequenter, propter dolorē ibi concitatum, tensivum, vibrativum, formetur atque colligatur: vel ipsa illae tandem emergentes ulcerationes, directe à materia illius sepositæ maturatione & essentia veluti corruptione, quam propterea coctionem Veteres appellare sverunt, prognatae sint: & non potius a magis accidentalibus, consecutivis, congestionibus, appulis humoribus, imo vero medicacionum inconvenientium administrationibus. Certè illud attendantibus satis dilucescere posse confido, quod ἀποστεων harum sensibilissimæ, quam gravissimis doloribus artuum, patientem infestantes, manifestò materia ejusmodi fere minimum pro fundamento habere videantur, dum, sibi relicta, communiter vix ullam influxus talis materiae notam offerunt, aut illam corruptionem ulcerosam subeunt.

Illiad vero notatu dignissimum est, quod non ita raro, ut forte minus periti sibi imaginari solent, sed facis certe crebro, occurrant patientes, qui, passionum talium articulatum cruciatibus laborantes, communiter pro nude Arthriticis, Gonagrictis, Podagrictis, habentur, qui altius examinato sui statu, malum suum ab hujus generis non ulcerosâ, sed spastica  $\alpha$ ποστεω sentire deprehenduntur. Sane vero si rem paulo circumspectius examinemus, ἀποστεω nostrarum cœtus latet hodie communiter sub tribu Rheumatismi; ita ad minimum

mum, ut *Rheumatismi* nomen tunc magis induat, quando, *re-*  
*petitis* exacerbationibus insultando, patientes graviter exer-  
cent: Quamvis prima ejus nativitas à dicta hac tenus *Απόστολος*  
originem duxerit, imo ab eadem actu pendeat, nisi mavis,  
quæ nobis probabilissima videtur sententia, unum idemque  
existant.

Placuit discursum hunc præmittere Disputationi Inaugu-  
rali, quam proximis diebus habiturus est

## ANDREAS KOELICHEN, LIGNITIO SILESIUS,

MEDICINÆ CANDIDATUS DIGNISSIMUS.

DE cujus honesto ortu, studiisque hic usque solerter tra-  
etatis, ut etiam publice constet; Natus est ille ex ho-  
nesto conjugio an. 1670. die 8. April. Patre Pl. Reverendo DN.  
FLORIANO KOELICHEN, tunc temporis Pastore in Seif-  
fersdorff, Ducatus in Silesia Lignicensis; Posthac vero Pa-  
store Civitatis Haynoviensis, in eodem Ducatu, & Presby-  
terii ejusdem dicæcscos Seniore: Matre, Virtutibus sui sexus  
ornatissima fœmina, ROSINA PAULINA, DN. DAVIDIS  
PAULI, Prætoris quondam in Urbe Lubena, & MARIAE  
SCHULZIAE filia. Ab his optimis Parentibus non solum in-  
de à cunis Christianæ fidei atque pietati innutritus est Noster,  
sed etiam studiis & bonis literis destinatus: Quarum quidem  
prima fundamenta hausit ex informatione domestica ipsius  
venerabilis sui Parentis, deinde verò in scholam Lubenensem  
transmissus, in qua duos annos confecit. Transiit inde in Inclytam Vratislaviam anno 1692. ubi Celeberrimi  
Gymnasi Magdalæni Clarissimorum Professorum fidelissi-  
morum institutioni commissus, sub Celeberr. DN. CHRI-  
STIANO GRYPHIO, Rectore, DN. GOTOFREDO  
KÜPFENDERO, ConRectore, & DN. SIMONE TITIO,  
per ipsum quinquennium laudabiles in studiis progressus fe-  
cit.

cit. Unde altioribus disciplinis satis præparatus, tandem ao.  
1697. post Fefsum Pentecostes Celeberrimam Wittebergen-  
sium Academiam adiit, & studium, quod a pueri ipsi præ  
aliis placuerat, Medicum amplexus, summo cum studio at-  
que animi intentione gnaviter prosecutus est, sub informa-  
tione imprimis atque manuaductione Excell. DN. CHRI-  
STIANI VATERI, Medicinæ Doctoris & P. P. famigera-  
tissimi. Cujus etiam domum habitavit, & mense ejusdem  
convictor fuit, non neglegetis interim etiam Excell. DN. D.  
BERGERI, & DN. D. SPERLINGII Collegiis. Dispu-  
tationem quoque de ORGANIS GENERATIONIS sub lau-  
dati DN. D. VATERI Præsidio publicè defendit: Tribus  
etiam publicis Anatomiis interfuit: Sectiones vero & inspe-  
ctiones judiciales in & extra Urbem undecies aspexit. Ac-  
cessit tandem nostram Academiam, ubi jura atque privile-  
gia in Arte summa petere atque impetrare secum constituit.  
Professus nomen suum inter Candidatos, subiit alacriter con-  
sulta examina, in quibus profectus suos in arte tales exhibuit  
atque nobis probavit, ut jure meritoque aditus ipsi liber pan-  
deretur ad capienda laboris Doctissimi Brabea: Supereft ultim-  
um publicum eruditionis specimen, Disputatio solennis,  
qua APOSTEMATIS ET FURUNCULI indolem ex-  
planare suscepit. Habebitur illa sub meo, ut hoc tempore De-  
cani, Præsidio, proximo VI. Aprilis. Quem Actum solen-  
nem ut Illustrissimi, illustres, Magnifici, maxime Reverendi,  
Excellentissimi, Academiæ nostræ Fautores, Senatores, Ho-  
spitesque & Cives, honorifica & benevolia sua præsentia splen-  
didiorem reddere dignentur, est quod officiosissime & hu-  
manissimè rogo, peto, contendeo. P. P. Sub  
Sigillo Facultatis d. II. Aprilis  
MDCCI.

(L. S.)

halles, Diss.) 1701 S/TI


ULB Halle  
001 836 390

3



SG.





4  
1701, 323

GEORGII ERNESTI STAHL,  
D. ET PROF. PUBL. ORDIN. h. t. FACULT.  
DECANI,  
*PROPEMPTICON INAUGURALE,*  
*DE*  
**ΑΠΟΣΤΑΣΕΟΣ**  
ET  
**ΑΙΙΟΣΤΕΜΑΤΟΣ**  
**HIPPOCRATIS DIF-  
FERENTIA.**